AUTHOR:

EBELING, HEINRICH

TITLE:

CODICIS LAGOMARSIN-
IANI NONI QUAE SIT...

PLACE:

BRUNSVIGAE

DATE:

1863

Master Negative #

91-80405-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Ebeling, Heinrich, 1840-
Codicis Lagomarsiniani noni quae sit auctoritas in oratt. Tullianis De lege agraria recensendis, cum mantissa de codice Parisino 7774; dissertatio inauguralis quam ... scripsit Henricus Ebeling ... Brunsvigae, typis expressit officina H. Neuhoff, 1863.
39 p. 24 cm.

Thesis, Göttingen.

No. 4 of vol. of ( ) pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-30-91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

CODICIS LAGOMARSINIANI NONI

QUAE SIT AUCTORITAS

IN ORATT. TULLIANIS DE LEGE AGRARIA RECENSENDIS.

CUM MANTISSA

DE CODICE PARISINO 7774.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

HENRICUS EBELING,

VORSFELDENSIS.

SEMINARIORUM REGIOR. GOTTING. PHILOL. ET ARCHEOL. QUONDAM SODALIS ORDINARIUS.

BRUNSVIGAE,

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA H. NEUHOFF & CO.

MDCCCLXIII.

M. Tullii Ciceronis orationes tres de lege agraria, postquam per longum temporis spatium ab interpretibus artisque criticae studiosis paullum neglectae iacuerunt, A. W. Zumptius nuperrime maxima diligentia atque doctrina explicare et emendare conatus est. Ad quae studia collationibus codicum Lagomarsinianorum post patrui mortem acceptis praecipue adductus, de his orationibus et de pro Murena eo ante omnia meritus est, quod horum codicum lectiones quae usque ad hoc tempus parum notae erant, hominum doctorum iudicio proposuit. Quae quantum a ceteris libris adhuc notis atque adhibitis differant, iam ex magna diversitate editionis Baiterianae (in Tullianorum operum editione altera) quam Zumptius in recensione sua*) Ciceronis verbis proxime subiecit, facile apparet. Qui quum omnium codicum et Germanicorum et Italicorum**) optimum esse iudicaverit Lagomarsinianum 9, plurimum interest, ut quam accuratissime examinetur, quae in his orationibus recensendis huius libri sit auctoritas. Quam disquisitionem ita instituemus, ut primum de iis quae Zumptius in prolegomenis de codicum ratione in universum proposuit, paucis disseramus, tum de singulis locis ubi ille Ciceronis verba ex huius codicis auctoritate mutavit, denique de omissionibus et

*) M. Tullii Ciceronis orationes tres de lege agraria. Rec. et expl. Aug. Wilh. Zumptius. Berolini apud Ferd. Dümmlerum. MDCCCLXI.

**) De quibus familiis cf. eius edit. pag. XXIV.

transpositionibus, quarum multitudine hic liber ante omnia abundat*). Neque vero in animo habeo, et de Zumptii ipsius coniecturis et de iis lectionibus disputare, quae non huius libri propriae, sed cum Erfurtensi qui vulgo optimus habetur consentientes nunc primum in verborum ordinem receptae sunt.

Priusquam codicum Lagomarsinianorum lectiones innotuerunt, liber Erfurtensis, quamquam et ipse haud paucis mendis inquinatus est, dux fide dignissimus artisque criticae fundamentum in his orationibus ab hominibus doctis habebatur. Zumptius in proll., ut eius auctoritatem imminuat, primum pauca exempla affert (p. XXV), quibus librarium huius codicis emendatoris partibus susceptis in his orationibus non pauca mutasse atque de suo ingenio adiecisse demonstrare vult. Sic 2 § 38 *Quidquid igitur* pro *quidquid ergo*, quod reliqui codices habeant, scripsisse; displicuisse enim eiusdem coniunctionis intra breve spatium repetitionem similique de causa 1, 22, *Capuam et urbcs circa Capuam* eum improbasse atque *Capuam et u. c.*

*) Lectorem benevolum non ignorare velim, hanc dissertatiunculam iam ante hos XVIII menses Kal. Oct. anni MDCCCLXI conscriptam atque absolutam fuisse, antequam quidquam eorum quae iam tum scripta erant vel postea de his orationibus deque Mureniana scripta sunt, mihi sub oculos venisset; illo vero tempore aliis occupationibus ex patria et ab studiis meis dilectissimis avocatus sum et impeditus, quin haec publici juris fecerim vel operam meam in his orationibus collocare pergerem.

Facile quis postulaverit, ut etiam de oratione pro Murena 19 ope et auctoritate a Zumptio eodem modo edita (Berolini apud F. Dümmlerum MDCCCLIX) atque emendata disputemus; quod duabus de causis non fecimus: primum si hic codex re vera in una alterave oratione optimae vel pessimae notae sit, non necessarie idem in ceteris quoque esse debet; probandum esset, eum totum atque etiam exemplaria, per quae ex prima harum orationum recensione ad tempus nostrum pervenit, ex eodem archetypo descripta neque ex variis esse concinnata, ut solet in his libris; tum iam a pluribus hominibus doctis, praecipue ab Halmio, homine orationis Ciceronianae omnium peritissimo, satis expositum est, qua sit utilitate ad illam orationem emendandam. De quibus rebus nunc optime confertur C. L. Kayseri prooemium ad edit. Tauchn. p. VIII sq., praeterea Halm, Sitz. Ber. d. bayer. Ak. München 1861 Hft. 4, p. 437—482, Zft. f. Gymnasialwesen 1862 Hft. 6, et Sorof, Zft. f. G. W. 1862. Hft. 6. 8 et quae ibi afferuntur.

eam scripsisse. Ad priorem locum in adnot. p. 73 addit, *ergo* quoque in tali ad priora reditu poni constare. Minime vero illo loco *igitur* a Ciceronis usu abhorrere omnibus notum est cf. de fin. 2, 10, 29 *(hoc igitur)* G. T. A. Krüger, gramm. lat. adn. 2, §. 546 Tischer ad Tuscul. 4, 15, 34 Hand, Turs. III. p. 192 sq. Simile exemplum talis variationis legitur Acad. 4, 77 *Quid ergo esset id? visum credo. quale igitur visum?* Quum vero constet vocabula *igitur* et *ergo* a librariis saepissime inter se confundi, de emendatoris correctura prorsus non est cogitandum; patet vel codicis 19 vel Erf. librarium sui exempli literas non recte legisse, et quoniam nunc iam non discernere possumus utrum unice verum sit, eum librum, qui ceteris scripturis melior esse demonstretur, in talibus rebus sequi debemus*). Fere idem valet in altero loco, quamquam Gebhardtus (cf. Zumptii adnot.) libri Erf. scripturam improbandam esse docuit. At talia vitia, quae ne ab optimis quidem codicibus prorsus absint, vix ad doctos emendatores referre licet, neque talibus rebus Erf. auctoritas infringitur, praesertim quum in 19 quem Zumptius tantis laudibus effert, multo plura atque graviora menda coniecturis minime dissimilia inveniantur ut 2, 34 *Emere agros a quibus volent* *v e l q u o s v e l i n t* *quam volunt magno poterunt* pro *et quos volent* atque cf. quae p. 7 sqq. de his rebus disputabimus. — Neque certius diiudicari poterit, utrum 2, 95 *illa capta est* et 2, 80 *Syriae rura* ex ingenio an casu et errore ortum sit; *Syriae tura* enim postquam ex *scripturae* vocabulo male picto primum natum est, aeque facile in *S. rura* atque *S. cura* deformari potuit, quorum neutrum emendatoris doctrinam redolet. Itaque haec pauca, quae Zumptius quod certam eorum esse putavit rationem attulit, librum e a docto quodam emendatore correctum esse non satis docent, atque si ceterum errorum dumtaxat plenus est, tam parvam quam ille vult eius auctoritatem esse ad has orationes recensendas vix putabimus.

Verborum deinde c o l l o c a t i o n e s, ut 1, 6 *etiam ille nunc* et 2, 9 *neque obscure enim*, a quibus locis profectus Zumptius

*) Eodem modo Erf. 1, 14 pro *quis ergo emet? quis igitur emet?* exhibet.

toto hoc in genere fidem illi libro habendam esse negavit, quis non potius ad librariorum neglegentiam quam ad doctum quendam hominem referet? Is enim haud dubie quod usitatum est neque ab usu Ciceroniano abhorret restituisset, minime vero quod prorsus improbandum est ex coniectura scripsisset. Neque magis Zumptii sententia de codice e interpolato additamentis probatur, quae permulta eiecit — plerumque opinor summa iniuria — neque omissione quae una tantum ab eo allata facile nimia scribentis festinatione et neglegentia orta esse potest.

Quum vero huius loci non sit codicis e auctoritatem examinare et ponderare, sed haec pauca tantum contra ea, quae Zumptius in proll. attulit, monenda esse viderentur, iam ad illa veniamus, quae de virtute libri 19 praedicavit. Primum p. XXVII sq. nonnullas lectiones eius proprias enumerat, quarum praestantiam magnis laudibus effert. Veruntamen vehementer vereor, ne omnibus quam accuratissime perpensis vix una ita comparata sit, ut necessarie recipi debeat. Ne vero nimium praedicasse videamur, de omnibus locis, ubi Zumptius 19 auctoritate scriptoris verba mutavit breviter disseramus. Neque tamen quisquam postulabit, ut etiam de talibus disputemus qualia sunt *cogitarint* pro *-runt acciperetis* pro *acceperitis prospexerint* pro *-runt existimastis* pro *-mavistis plebs* pro *plebes iubet* pro *lubet diminuere* et *dimovere* pro *dem- atque* pro *ac, et neque* pro *nec, non ac si* pro *at si populus Romanus* pro *respublica uti* pro *ut sapientium* pro *sapientum est* pro *sit* (de quibus saepissime inter se confusis cf. Madvig. ad de fin. 3, 17, 58); huc etiam trahenda videntur 1, 18 *modesti* pro *modeste* 2, 17 *fortuito* pro *-tu* 2, 39 *non* pro *cum* 2, 48 *percensuit* pro *percensuisti* 2, 90 *est excogitatum* pro *est cogitatum* 2, 55 *cum — tum* pro *tam — tam* 2, 91 *adrogantiam* pro *adrogantem;* quanquam eae lectiones novae quas postremas attuli mihi quoque praeferendae esse videntur; attamen ad codicum auctoritatem dignoscendam nihil faciunt, quum talia vitia male scribendo facillime oriri possint. Talia enim ex tam malis libris, quales et e et 19 sunt, tot scribendi vitiis scatentes, pendere omnino non possunt, sed ex sententiarum nexu scriptorisque consuetudine diiudicari debent; quod ubi fieri non potest, is codex

qui ceterum optimus est fideque dignissimus erit sequendus. Hoc vero tamen numquam tam serviliter faciendum est, ut eas quoque lectiones, quae contra usum sententiamque pugnent, in ordinem verborum recipiamus; quapropter minime probabimus Zumptii rationem, qui vel invitus suum codicem sequitur ut 2, 16 ubi ipse adnotat: »invitus prope feci, ut hoc quod codicum auctoritate commendari videretur (*nolite dubitare*) reciperem.« Cf. etiam pag. 83.

I. De locis in quibus Zumptius ex 19 auctoritate verba mutavit.

Priusquam ad ea quae in Zumptii editione ex auctoritate 19 mutata leguntur transeamus, pauca de ceteris quoque lectionibus huius libri quae a vulgatis recedunt praefabimur, quo facilius atque accuratius eius indoles perspiciatur. Afferemus igitur, quae tam malae sunt notae, ut vel Zumptius ea spreverit, qui quantum posset omnes eius lectiones defendit: 2, 5 *cogitationis* pro *quietis* 2, 9 *patrimonium* pro *patrocinium* 2, 31 *permovet* pro *commonet* 2, 32 *iam lictores* pro *tum finitores* 2, 45 *finitimorum* pro *finitorum* 2, 77 *commovebo* pro *connivebo* 2, 86 *exilium* pro *vexillum* 2, 34 *Emere agros a quibus volent vel quos velint quam magno volunt poterunt* pro *et quos volent**). Si priora exempla perlustraverimus, librum ab homine quodam scriptum esse apparebit, qui etiam ubi aliquid male legi poterat, tamen verbum cuiusmodi esset, eruere studebat, si vero posteriora, eum etiam pro vocabulis minus vulgatis sibique fortasse ignotis usitatiora substituisse. Idem haud paucis aliis lectionibus, quas Zumptius iam recepit, comprobatur.

Sic. 1, 5 *agros Attalensium atque Olympiorum* pro *Olympenorum*, quae varietas etiam 2, 50 reperitur. — 2, 44 *An*,

*) Quae exempla facile augeri possunt ex oratione pro Murena §. 1, *centurinis* pro *centuriatis* 2. *quem* pro *qui*, *in ancipiti* pro *mancipi* 8. *iden* pro *tamen* 8. *honestus* pro *iniustus* 11. *fuit ne ut* pro *fuisset* 12. *locus fuit* pro *locus est* 14. *integerrimum* pro *integrum* 17. *atque* insertum ante *antiquis* 22. *istius* pro *instituis* 24. *Nominum sub hanc* pro *Nimirum si* 28. *maiores* pro *inanior est* cit. Z. pro quo reliqui C. consentientes *minores, aliquando* pro *aliquamdiu* 32. *emicuit* pro *enicuit* 36. *concitantur* pro *excitantur* et quae sunt similia.

Quirites, ii, qui per cursum rectum regnum tenere non potuerunt, nunc c a e c i s *tenebris et caligine se Alexandriam perventuros arbitrati sunt?* pro t a e t r i s *tenebris.* Tenebrae et caligo, ut aliis locis quos attulit Z. et in Verr. 3, 177 *Illa omnis pecunia latuit in illa* c a l i g i n e *et* t e n e b r i s, *quae totam remp. tum occuparunt,* de prov. cons. 43 *Ecce illa tempestas, illa* c a l i g o *bonorum et subita atque improvisa formido,* t e n e b r a e *reip., ruina atque incendium civitatis* etqs, ad conditionem aliquam periculosam et calamitosam a Cicerone transferuntur, ita h. l. et translate et proprie usurpantur, quum orator sub navigationis imagine perpetuo ad eos alludat, qui a P. R. Aegyptum provinciam petebant. Taetrae vero tenebrae Zumptio in hac allusione non placent, quod eae sine magna tempestate cogitari non possint, talesque eo tempore Aegyptum clam petentibus iucundae esse debuerint. Veruntamen quum in toto enuntiato verba ita sint electa, ut omnia ad navigationem spectent, primum etiam sic sunt interpretanda: absurdum esse sperare eos, ‚qui per cursum rectum (i. e. vento secundo nullaque tempestate impediti) ad Aegyptum navibus appelli non potuerint, caelo nubilo tempestateque coorta eo se esse perventuros. Quam bene in hanc sententiam notio magnae tempestatis quadret facile apparet; eodem vero tempore orator significare vult, id quod a P. R. aperte obtinere non potuerint, non magis clandestino atque inopinante P. R. se consule eos assecuturos esse, quamvis taeterrima de rep. consilia cepissent. Quod vero Zumptio interprete maxime agitur, tantas esse tenebras, ut per eas, quo navigetur, perspici non possit, in *caligine* inest. Vix dubitari potest, hanc scripturae discrepantiam non ex alia causa ortam esse, nisi quod librario vel emendatori non nimis docto *taeter* minus notum fuerit aliorumque quoque utilitati consulere voluerit.

Prorsus simili modo usitatiora verba substituta sunt 2, 90 *et ad bellum* g e r e n d u m *et ad exercitus* a r m a n d o s pro eo quod ceteri omnes exhibent codd. ad b. instruendum et ad ex. ornandos. — 2, 101 *pertimescam* pro perhorrescam; 2, 41 *Alexandriae* et *Alexandrino,* unde Zumptius *Alexandri* nomen substituit pro reliquorum *Alexa,* de quo cf. Klotzium in prooemio ed. Teubn. II, 2. p. XXII sq.; num 3, 2 *probabo* quod

paullo insolentius est pro *probaro* 19 casu an consulto exaratum sit discerni non potest; 3, 6 *qui post C. Marium Cn. Papirium consules,* quod in reliquis codd. omnibus invenitur, minime a librario profectum est, qui scientiam suam ostendere cuperet, sed potius quod 19 solus legit: *qui post C. Marium Cn. Carbonem consules; Cn. Carbonem* enim pro *Papirio* est interpretatio huius nominis hausta ex reliquis locis a Zumptio iam allatis, ubi hic consul sic appellatur; 3, 9 *Immunia* m e l i o r e *condicione sunt* non modo usitatius est (cf. Cat. M. 68 ad fam. 4, 3. 4 in Cat. 4, 22 pro domo 64 in Caec. 25) quam *commodiore condicione* 19, sed ex similitudine eorum quae modo praecedunt: *quae optima condicione sunt, Soluta meliore in causa sunt,* facillime restitui poterat. — Simile interpretamentum, sed multo gravius Zumptius 2, 1 *eam primam habent* o r a t i o n e m ex 19 pro *contionem* in verborum ordinem recepit. Rectissime quidem disputat, certe non eum fuisse morem maiorem, »ut qui magistratus facti essent contionem vocarent eam unam ob causam, ut gratiam populo agerent nobilitatemque suam laudarent;« sed ridiculum fere est, eum non cogitasse non solum »eum contionem habere qui populum suo nomine vocet eique contioni praesit,« verum etiam eum qui verba apud populum faciat. Hanc huius vocis saepissime apud Ciceronem esse significationem plurima exempla docent cf. Süpfle ad Cic. ep. ad fam. 4, 1, 6 (p. 103 ed. IV) ad fam. 9, 14, 7 *Legi enim contionem tuam. Nihil illa sapientius* etqss. ibid. 9, 19. *In contione mea nihil ponam de rebus meis gestis;* de aliorum scriptorum usu cf. Klotz. lex. s. v. 2); hanc esse etiam h. l., quae statim insequuntur: *qua in oratione* ... perspicue demonstrant.

Quem in numerum procul dubio haec quoque referenda erunt, de quibus vero certi aliquid vix potest constitui: 1, 2 *pecunia numerata petitur* pro *quaeritur* 1, 4 *et, credo, non dubitabitis* pro *dubitatis* 1, 26 *neque aliud negotium* pro *neque aliquod negotium;* oppositio enim, quam Zumptius inter »*si status hic reip. maneat,* quod ad domesticam quietem pertineat et *aliud negotium,* quod ad bellum aliquod externum spectet« desiderat atque qua *aliud* defendit et commendat, etiam in *aliquod* inest, quod saepe fere alius quis significat cf. exempla quae Klotz

in lex. s. v. 1) congessit, Krüger gr. lat. p. 562 adn. 2 Dietsch ad Sal. Cat. 17, 5. — 2, 10 *amicissimos* pro *amantissimos* 2, 23 *terra et mari* quod praeterea apud Ciceronem ad Att. 10, 4, 3 solummodo inveniri videtur pro terra marique*) 2, 18 *Item inquit, eodemque modo* pro *eodem modo*; neque minus *tamen tandem, ac atque et* inter se commutata, 1, 26 *deserite illos* pro *eos* 2, 82 *increpuerint* pro *concr.* 2, 59 *deferri* pro *referre* 2, 67 *Neratianae* pro *Ver.* 2, 22 *invidiae* pro *in indice* 2, 34 *de consiliis abducant* pro *e consiliis* 2, 51 *de imperio decertarunt* pro *certarunt* 2, 77 *contra vos firmari opes, firmari praesidia* pro *armari praesidia* 2, 90 *in illa urbe* pro *in ea urbe* 3, 12 *quaesiverunt* pro *reliquerunt* 3, 15 *servabitur* pro *servatur*, nisi forte multa ex his potius librarii neglegentiae quam docti cuiusdam emendatoris arbitrio attribuenda erunt. Si has lectiones variantes, quascumque modo recensuimus accuratius consideramus, non possumus, quin ad eam opinionem deveniamus, Zumptii iudicium quod in proll. p. XXVI de ceteris codicibus Italicis proposuit, non minus de 19 valere existimemus: eum originem duxisse ex libro ab homine docto aliquo emendato atque ad usum multitudinis accomodato.**) Veruntamen in eo a ceteris omnibus differt, quod ille qui hunc librum scripsit vel quod verisimilius videtur, qui unum aliquod exemplum eorum emendavit, quae ex libro Poggiano ducta huius recensionem posteritati servarunt, quam liberrime et quam maxime arbitrarie hoc negotio perfunctus est. Neque tamen ceteras quoque lectiones, quae non primo obtutu merae correctoris mutationes esse videantur, inorata causa damnabimus sed omnes quam accuratissime examinabimus; quum enim quantum nunc sciamus codices Germanici et Italici non ita inter se cognati sint, ut alteri ex alteris prorsus pendeant, facile fieri potest, ut etiam in Lagomarsinianis solis quamvis interpolatis

*) Pro Mur. 33 19 etiam *terra et mari* exhibet pro reliquorum *et t. et m.*, unde fortasse hominem doctum quendam in his orationibus emendandis eandem rationem secutum esse concludi licet.

**) Maximo cum gaudio nuper vidi, G. Sorofium, qui in coment. crit. de Ciceronis pro L. Murena oratione. Potisdamiae 1861 de huius codicis auctoritate diligentissime et accuratissime disputavit, idem iudicium de hoc libro tulisse in Zft. f. d. Gymnasialwesen 1862 p. 668 sq.

vestigia veri hoc vel illo loco remanserint. Quae quum ita sint, pro totius disquisitionis ratione semper id tenendum erit, postquam talem codicum Italicorum condicionem esse docuerimus, ad Erf. libri lectiones vel vulgatas tuendas sufficere demonstrasse, eas propter sententiarum nexum atque rationem grammaticam aeque bene stare posse atque Lagomarsinianas.

1, 11 *Hic quaero, si Hiempsali satis est cautum foedere, et censorius ager privatus est, quid attinet excipi* Zumptius ex 19 auctoritate pro *attinuerit* scripsit. Aeque bene h. l. et *attinet* et *attinuerit* dici posse non est quod doceamus; utrum vero ex correctura ortum sit difficillimum est diiudicatu. Hoc unum pro *attinuerit* attulerim, quum et in enuntiatione condicionali et in interrogatione quae sequitur praesentia legantur, facilius aliquem eo adduci potuisse, ut h. quoque l. praesens poneret, quam hoc si invenisset in perf. mutaret; si conjunctivum requisivisset, *attineat* potius scripsisset. Praeterea illa quoque causa accedit, cur perf. conj. genuinum censeamus, quod in iis quae sequuntur, quorum ratio eadem est, conj. *putet* omnibus libris est servatus. In hoc autem verae lectionis vestigia procul dubio insunt. Intactum enim reliquit corrector libri 19, homo ineptus neque sermonis latini peritissimus, quoniam modis verborum neglectis de temporibus solis curiosus erat neque aliud nisi ut ea inter se consentirent efficere studebat. Afferri etiam potest, *Quid — attinet?* saepissime in Ciceronis orationibus legi (cf. in Rull. 2, 27 pro Tull. 16, 38 de nat. deor 1, 84 de aliis cf. Klotz. lex. s. v. II. 2) a)) formulamque quodammodo efficere, ita ut librarius haec verba usitatissima quae sibi in animo haerebant pro eo quod exemplum eius exhibebat neglegentia exararet. — 1, 20 *si luxuries, Hannibalem ipsum Capuae corrupit:* genetivus *Capuae* eo, quod prima litera vocis *corrupit* cum *Capua* coalescebat ortus est. Ad sententiam enim nihil interesse utrum scribatur nemo dubitabit*). — 1, 22 *Quid enim existimatis, integrum nobis in republica fore aut in vestra libertate et dignitate retinendum*, quod Zumptius edi-

*) Fortasse vero hic locus multo graviore mendo laborat, praesertim quum in cod. Par. 7825 *Capuana* legatur posteaque *haec* cum 19 omittatur.

dit, vix est ferendum. Vellem addidisset exempla, quibus confirmaret, et *quid in libertate vestra retinendum* latine dici posse et *retinendum* significare, »quid erit eiusmodi, quod retineri debeat, quid operae pretium sit retineri;« de utroque enim vehementer dubito. Neque vero intellego, quid h. l. sibi velit significatio »eius quod deceat et fieri oporteat;« sed haec sententia requiritur: reipublicae salutem vestramque libertatem dignitatemque conservare non poteritis, si Xviri totam Italiam militibus suis occuparint cf. 1, 17, ubi verba ipsa *ut nobis non modo dignitati retinendae sed ne libertatis quidem recuperandae spes relinquatur* aliquantum ad vulgatam tuendam faciunt; hanc vero in lectione codicis e inesse non est dubium. Quum enim constet, integrum esse id, in quo nondum quidquam inchoatum sit, sed quodcunque lubet, facere liceat (cf. ad fam. 5, 2, 8 *respondit, sibi non esse integrum (desistere de illa mente)* pro Mur. 8), ut saepe *non integrum mihi est* idem sit atque *mihi iam non licet* h. l. senatores in republica administranda atque dignitate libertateque sua tuenda integritatem amitterent, si harum rerum omnium summam potestatem hac lege agraria probata Xviris traderent. Sententia igitur est: Nunc omnia vobis integra sunt ac libera; quum vero primum Xviri vobis auctoribus rerum potiti fuerint, sero sapietis neque vobis ullam potestatem relicuam factam esse intellegetis. Contra si Zumptii interpretatio vera esset: »fore ut senatores nihil de libertate sua novum excogitare possint, quod non Xviri quasi inchoarint,« *integrum nobis in republica fore* quod Z. intactum reliquit propter similem sententiae ineptiam non esset ferendum. Sic vero, ut nos interpretati sumus, alterum altero fulcitur, utrumque optime explicari potest. Praeterea vix probabile est, quod Zumptius de discrimine inter *vobis* et *nobis* h. l. disputat: »quoniam in senatu verba facit, si vobis diceret, bis eandem fere rem commemoraret.« Primum enim nihil erat, cur P. R. h. l. commemoraretur, praesertim quum hoc quod ab oratione in senatu habita iam per se alienum est, in reliqua parte nullo loco ita facit, ut illum pronomine *nos* complecteretur, sed ubi fecit, semper verbis P. R. utitur. Denique minime reprehenderis, quod bis eandem rem commemorarit, quoniam haud dubie discrimen interest inter reip. negotia quae senatus ad-

ministrat, atque eius dignitatem libertatemque. — Quamquam 1, 24 *Hoc metu* pro *hoc motu* nihil nisi scribendi vitium esse videtur, tamen pauca ad vulgatam defendendam afferemus, praesertim quum Zumptius *motu* et auctoritate et sententia postulari contenderit. Quod enim dicit, nullam rem in rep. motam esse, nihili est, quoniam si quae modo praecedunt contemplamur, tamen de rerum motu dici potest, saltem aeque bene atque de rerum perturbatione; neque vero omnino necesse est, ut vocem *motus* de rebus intellegamus, verum etiam ad animos quod saepissime fit referri licet cf. de Univ. 38 *Ira et metus et reliqui motus animi,* ubi metus quoque hac notione comprehenditur. Quum vero et in iis quae sequuntur et in iis quae praecedunt remp. maximo metu suspensam esse exponatur, librarius facillime adduci poterat, ut *metu* potius quam motu, quod primo obtutu minus aptum videtur, exararet. — 2, 1 *quales nos illorum sanguinis discipulosque videtis institutorum,* quod Zumptius ex prava 19 scriptura *illorum sanguinis discipulos videtis institutos* emendavit, mihi non magis quam relicuorum librorum lectio placet. Neque enim videre sic cum duobus accusativis (quales nos videtis illorum sanguinis discipulosque), ne dicam cum genetivo praedicati *illorum sanguinis,* neque discipuli institutorum neque discere instituta latine dicitur. Accedit, quod mutatio minime levis est, quum verborum terminationes, quamvis in iis saepissime peccatum sit, tali modo tamen nullo loco confundantur. Quod vero contra *sanguine creatos* affert, poetis magis convenire vix negari potest, quamquam tales loci ut de fin. 1, 10, 34 *(maiores) censes in liberos atque in sanguinem suum tam crudeles fuisse* pro Sest. 130 *homo eiusdem sanguinis* cf. etiam Klotzii lex. lat. s. v. 2) a) b) ad ea defendenda afferri possunt. Veruntamen hac de causa haec verba minime improbanda sunt: primum enim in prooemio leguntur, ubi oratio paullo grandior atque sublimior interdum permittitur; tum non obliviscendum est, hanc contionem esse habitam ad populum; qua de re Cicero de orat. 2, 333 sq. ipse dicit: *Atque haec* (suasiones et laudationes) *in senatu minore apparatu agenda sunt: sapiens enim est consilium, multisque aliis dicendi relinquendus locus. Vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio. Concio capit*

omnem vim oratoris, et gravitatem varietatemque desiderat. Et ibid. 337 *Et quamquam una fere vis est eloquentiae, tamen quia summa dignitas est populi, gravissima causa reip., maximi motus multitudinis, genus quoque dicendi grandius quoddam et illustrius esse adhibendum videtur. — Fit autem, ut, quia maxima quasi scena oratori videatur concio, natura ipsa ad ornatius dicendi genus excitatur.* Quae omnia huius et primae orationis locis, quibus eadem res tractatur, inter se comparatis facillime cognosci atque commonstrari possunt; sic quae 1, 18—20 breviter de dignititate reip., de maiorum sapientia dicta leguntur eadem 2, 86—91 multo fusius et copiosius exponuntur; eodem modo quae 1, 22—26 de consilio suo consulatus gerendi cum 2, 5—10 conferri possunt, ubi ante omnia ad ea attendendum est, quae utroque loco de rebus popularibus 1, 23 et 2, 7—10 dicit*). Huc etiam singula verba vel locutiones poeticae trahendae sunt, quae in hac oratione non paucae inveniuntur, ut 2, 25 *cum ad omnia vestra pauci homines cupiditatis oculos adiecissent,* ubi Zumptius optime *cupiditatis* uncis liberavit cf. eius adn. 2, 95 *luxuries vicit Hannibalem* et cf. totam §. 2, 97 *Capuae in domicilio superbiae.* In nonnullis locis, ut 2, 25 *cupiditatis oculos*, 2, 57 *amicissimis sedibus*, ubi iam Z. adnotat, »quod apud poetam ferrem« variant codices editoresque. Quorum unus saltem nobis accuratius tractandus erit, quod Zumptius ibi ex 19 novam lectionem recepit: 2, 9 (pax) *in qua — tecta atque agri laetari videntur*, tecta atque agros laetari addito ablativo eum solum dicere posse contendens, qui iis poetarum modo sensum tribuerit. Quod quam verum sit haec docent: Colum. 3, 9, 8 *vitis laetatur tepore potius quam frigore* Pallad. 1, 6, 15 *frumenta maxime laetantur patenti campo.* Attamen relicuorum librorum lectio primum iis defenditur, quae modo exposuimus; deinde vero,

*) Eodem fere modo oratt. I et II in Catilinam inter se comparari possunt; de quarum II exordio Halm. in ed. Weidm. adnotat: »*Der ganze Eingang der Rede muss durch die Häufung von Synonymen und Kraftausdrücken unserm Gefühle als schwülstig erscheinen, wie auch noch andere Stellen der Rede; doch hat man nicht zu vergessen, dass die Rede vor dem Volke gesprochen wurde, wo eine stärker aufgetragene Sprache mehr als im Senat an ihrem Platze war.*«

etiamsi constructio poetica non admittenda esset, tamen *qua* optime stare posset, quoniam primum cum *quibus natura sensum dedit* construendum est et tum per zeugma quoddam cum *tectis atque agris* coniungitur. Inveniuntur vero talia interdum etiam in aliis orationibus non ad populum habitis, praecipue in prioribus, ut in Rull. 1, 18 *locus superbiam et crudelitatem genuisse dicitur.* Sed ut revertamus ad locum unde tam longe digressi sumus, hoc unum nobis addendum est: si *disciplinisque institutos* maiori offensioni est — neque habeo quo contra Zumptium defendam, facillima est correctura *disciplinaque* qua omnes difficultates removentur. — De 2, 4 . . . *quod hoc honore ex novis hominibus primum me multis posthabitis affecistis* quod 19 cum aliis pro *multis post annis* praebet, nescio quid statuendum sit. Vulgata lectio eo commendatur, quod initio huius enuntiati usque ad verba *sed tamen* orator solummodo ea quae §. 3 uberius exposuerat paucis repetit. Quod quum ipse verbis *quod paulo ante commemoravi* dilucide significet, lectionum vertatem iis quae praecedunt comparatis examinare possumus. Incipit vero illa §: *Me perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum primum hominem novum consulem fecistis . . .*, ubi longitudinem temporis quam maxime effert, per quod consulatus aditus ab hominum novorum petitionibus defendere nobilitati contigerit; quod quanti ipse fecerit quum ex his orationibus tum ex pro Mur. 8, 17 ab interpp. iam allato apparet. Praeterea Cicero, qua erat gloriae cupiditate, multos in consulatu petendo sibi esse postpositos procul dubio saepius commemorasset, si revera de eo se iactavisset; nunc vero nullus locus qui huc pertineat invenitur*). — 2, 5 Zumptius soloecismum minime ferendum *multo magis* qui nulla ratione excusetur recepit neque multo praestat in iis quae paullo post sequuntur: *cum errato nulla venia — proponatur.* Ciceronis enim quum quantum potest suum consulatum praeter ceteros esse difficilem efferat, non intererat,

*) Quod facere poterat pro Mur. 17 in Cat. 1, 28 et saepius. Diversa vero lectio ex male lecto ANNIS vel ex dittographia orta esse videtur, ut nunc in cod. Arundel 382 *multis post annis posthabitis* in ordine verborum legitur.

causam generalem afferre, sed quae ad se unum pertineret. Est igitur restituendum: *tum vero mihi praeter ceteros, cuius errato nulla venia — proponitur.* — 2, 9 *pacem externam libertatemque propriam generis ac nominis vestri, otium domesticum, denique omnia* Zumptius copulam *que* eo defendit, quod pacem externam cum libertate cohaerere dicit. Hoc vero loco libertas P. R. non bello externo in discrimen vocatur, ut pace externa firmari possit, sed ab iis qui (2, 8) *perturbatione iudiciorum infirmatione rerum iudicatarum novas dominationes, extraordinaria non imperia, sed regna quaerere putabantur.* Denique asyndeton in hac oratione trimembri etiam eo commendatur, quod in enuntiatione quae praecedit, et quacum haec verba arctissime cohaerent, hae tres res: pax, libertas, otium ut eiusdem ponderis inter se discretae commemoratae sint. — 2, 14 *non enim natura neque studio neque odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu,* quod pro *discidio* Z. scripsit sic explicat: »non enim natura bellum habet consulatus cum tribunatu;« hoc vero bellum naturale »aut studio penitus insito, aut odio penitus insito existere.« Vellem quid *studio penitus insito* significet accuratius explicuisset; hoc enim mihi non liquet. Contra non video quid difficultatis in illo *neque discidio neque odio* insit; nam *discidium,* si re vera »pro origine sua nisi in earum rerum, quae aliquando coniunctae fuerunt, dissociatione usurpari non posset,« quidni in memoriam nobis revocaremus: *esse aliquam oportere inter nos* (me consulem et tribunos) *reip. bene administrandae societatem* (2, 11), quod quam necessarium sit, per se apparet. Saepissime vero haec vox ita usurpatur, ut de rebus antea inter se coniunctis nullo modo cogitari possit, ut nihil sit nisi discordia, dissensio, quae paullo post a Cicerone ipso inter consules et tribunos pl. commemoratur cf. pro Balb. 30 *nullam esse gentem — neque tam dissidentem a P. R. odio quodam et discidio.* Praeterea ut h. l. discidium et odium saepius a Cicerone componuntur cf. pro Balb. 30 pro Cael. 31 *Magnum rursus odium video cum crudelissimo discidio exstitisse* ad Att. 7, 6 *cum is capitali odio a Q. Pompeio dissideret* Lael. 1, 2 de nat. deor. 1,42 *odia, praeterea discidia, discordias.* Studium et odium contra quamquam facile erat ubi dici posset

apud Ciceronem numquam sic coniunctum invenitur; in Lucilii versibus apud Cic. Tusc. 4, 48 *Usque adeo studio atque odio illius efferor* »leidenschaftlicher hasz« significat et pro imp. Pomp. 21 (classis) *studio atque odio inflammata* atque odio Guilelmi membranis Coloniensibus solis fulcitum ab Halmio in editione recentissima Weidm. omissum est. Si igitur ceterorum codicum scripturam retinemus, sententia aptissima existit haec: Non natura bellum habet consulatus cum tribunatu: quod bellum naturale vel discidio vel odio penitus insito (quae vero ambo absunt vel saltem absint oportet) oriri poterat. Nec enim particulae neque — neque h. l. tam disiungunt diversaque inter se opponunt, quam aequalia — discidium et odium — coniungunt cf. Hand, Tursell. IV p. 129 sq. Cic. de fin. 2, 48 *ait eos inani voce sonare neque intelligere neque videre* Madv. ad de fin. 1, 50 (*nec divelli nec distrahi*) »Repetita particula oratorie unam notionem dissolvit in duas« etqss. — 2, 15 *per tribunum pl., quem* non ad unum Servilium referenda sunt, quamquam is praecipuus legis auctor erat; sed ex iis, quae statim sequuntur: *quem maiores praesidem libertatis custodemque esse voluerunt* dilucide apparet, hoc prorsus in universum dictum esse; nec enim hunc unum certum trib. pl. maiores libertatis praesidem custodemque esse voluerunt, verum omnes omnibus temporibus ideoque contra 19 restituendum erit: *per tribunos pl. quos.* — 2, 26 *Iam hoc inauditum et plane novo more, ut — detur* quin ita dici possit nemo dubitabit; neque vero magis Zumptio in *novum* haerendum erat, quoniam *ut* quod sequitur non inde, sed ex *hoc* pendet cf. Krüger gr. lat. § 559, 1). — 2, 29 *itaque ex his initiis fundamentisque nascitur, ut* — quod 19 habet fortasse Ciceroni non minus aptum est quam ceterorum codicum *nascuntur;* veruntamen vehementer dubito, num Cicero *nascitur* pro sequitur, quod semel de fin. 3, 63 invenitur, ubi de philosophia tractatur, in orationibus quoque usus sit. Nam sententia minime vituperanda est, Xvirorum originem esse talem (in iis enim quae praecedunt quomodo eos constitui Rullus velit expositum est), ut statim postquam facti sunt magistratus, omne ius evertant. — 2, 34 *Emere agros a quibus volent vel quos volent quam volent magno poterunt* Z. vulgatae *et quos volent* praefert,

quia non in lege fuerit *a quibus volent*, sed hoc cumulandi causa Cicero addiderit, statim se quasi corrigens *vel quos volent.* Num vero hoc in lege fuerit nihil ad rem; oratoris saltem aliquid interfuisse vituperare, quod Xviris a quibus vellent emere liceret demonstrant 2, 64 — *huiusmodi res commissa nemini est, — ut emeret a quibus vellet quod videretur* 1, 15 2, 68 sqq. ubi queritur, quod Xviri maxime ab iis, qui agros Sullanos possideant, emturi essent. Itaque talis correctura per *vel oder vielmehr* h. l. non requiritur; sed ceterae quoque legis conditiones per *et* aptissime adnectuntur, ut etiam 2, 64 *a quibus quod videretur*, hae duae notiones *a quibus* et *quos agros* arcte inter se coniunctae sunt. — 2, 41 *Quid Alexandria cunctaque Aegyptus? ut occulte latent! ut recondita sunt! ut furtim tota Xviris traduntur!* propter insolentiam numeri singularis *latet est traditur* post plura nomina facile quis substituere potuit; singularem vero h. l. non minus bene stare posse docent Brut. 8, 30 pro Mur. 31 *cur Asiaticae nationes atque ille a te hostis contemnitur* ibid. 15; et in rebus etiam magis esse usitatum Krüger, gramm. lat. § 292 adn. 2. — 2, 50 *quod ego video comparari* non solum prorsus supervacuum est, verum etiam vix ex consuetudine Tulliana. Facillime ab interprete vel a librario neglegenti ex iis quae praecedunt repeti poterat. Item eodemque fere intervallo in codd. Lagg. 2, 74 *possint* praeter necessitatem reiteratum est. Accedit etiam contra hanc repetitionem, quod utroque loco pessime sonat. 2, 67 *Quod solum tam exile aut macrum est, quod aratro perstringi non posset* Z. ex 19 pro *exile et macrum* scripsit, quia aliquid inter *exile* et inter *macrum* interesse putavit. Quod quamquam non immerito eum animadvertisse puto, tamen nihil mutaverim; macies enim soli ad parvam eius fertilitatem pertinet atque ex exililitate existit, ut haec duo arcte inter se coniuncta cogitanda sint. Quod ita esse, haec quoque exempla comprobant quae Doederl. Synon. lat. V p. 25 attulit: Mel. II, 4, 4 *Padus aliquatenus exilis et macer* Colum. 1, 4 *in exili terra cultoris diligentia maciem soli vincere potest.* — 2, 76 *si quem rei indignitas commovet* Z. ex 19 ut unice verum recepit; *rem* enim esse agri Campani divisionem ab Rullo temptatam dicit. Quam ut numquam orator

indignam vocavit, saepissime vero populo R. incommodam atque reip. dignitati libertatique periculosissimam, ita minime h. l. de huius divisionis indignitate loqui convenit. Docet enim, ut etiam in senatu (1, 17—22) fecerat, illam coloniam Capuam deducendam populi R. commodo nullo modo esse inservituram (2, 76—85), verum dignitati reip. maximo fore periculo (2, 86—97). Quam dispositionem verbis: *de commodo vestro prius dicam, deinde ad amplitudinem et dignitatem revertar* indicat atque in enuntiatione finali inde pendenti, quas res utraque causa exposita assequi vellet, ita dicit, ut quam accuratissime utraque sententia inter se respondeat; quum igitur prior ratio ex populi R. commodis deducta sit, altera ad reip. dignitatem spectare debet; quapropter Wesenbergii emendatio facillima *reip.* pro *rei* erit probanda neque minus apparet, agri dividendi indignitatem ad sententiarum nexum prorsus esse ineptam. Cur vero *commovere* de irae vel terroris commotione tantum usurpari neque aliis quoque causis aliquis commoveri possit equidem nescio; saepe enim vix aliud significat, atque adducere cf. 2, 83 *Privatum haec causa commovit* (Lentulus Campanorum verbis adductus est, ut ab agro emendo desisteret): *populum R., ne agrum Campanum privatis gratis Rullo rogante tradat, non commovebit?* Klotz, lex. lat. s. v. B. 1) e). — Quidni 2, 82 *armati in cives et expediti ad caedem* dici possit, nescio; sententia enim quae in enuntiato relativo inest: tales homines eliguntur, qui in cives armati et expediti ad caedem esse possint, optime cum tota narratione de Xvirum consiliis consentit. Quorum quum ante omnia iis opus esset, qui ad omnia facinora exequenda parati essent, nihil intererat, utrum iidem ad urbem esse possent; tales vero quomodo eligi potuerint, difficile est dictu; nam si in agrum Campanum deducti erant, qui optime de rep. cogitabant, aeque celeriter atque in cives armati et expediti ad caedem in urbe esse poterant. Quod Z. praeterea contra scripturam vulgatam dicit, audaces eosdem facile armari et expediri non minus in eius ipsius cadit lectionem; nam ad vim prompti, ad seditionem parati, facile in cives armantur. Verba *ad caedem* etiam eo defenduntur, quod orator 3, 16 generi hominum ad vim, ad facinus, ad caedem accommodato agrum Campanum servari et

2, 77 *Sed si quinque hominum milibus ad vim, facinus caedemque delectis locus atque urbs — quaeritur* similibus verbis exponit. — 2, 93 *ferundum* vix erit restituendum, quoniam Ciceronem tali mira inconstantia h. l. solo *u* servasse non probabile est. Aut igitur in omnibus locis sic scribendum erit, aut h. l. a codicibus recedendum. Quorum scripturam praestat retinere in legis verbis quae 2, 29 afferuntur: *Tum ii Xviri eodem iure sint, quo qui optuma lege* pro *optima*, quod adhuc editur, praesertim quum Quint. inst. 1, 7, 21 tradat: *Optimus, maximus*, ut mediam i literam quae veteribus u fuerat acciperent primum Caesaris inscriptione factum esse. Quin igitur illo tempore u, quod libri servarunt, in legibus usurpatum sit non dubitandum est. — 3, 3 Ambigi non potest, quin de iis quae P. R. lege agraria se esse assecuturum sperabat, numerus plurativus *commoda* aptissime usurpetur, ut etiam 2, 15 *Itaque hoc animo sumpsi legem in manus, ut eam cuperem esse aptum vestris commodis* et 2, 81. Quum vero in omnibus his oratt. agr. singularis huius verbi saepissime legatur atque in 19 tales terminationes ut *o is, um os* inter se confundi soleant, ut hoc etiam h. l. factum esse putemus, ceterorum librorum auctoritate facile adducemur. —

Et quoniam quae in 19 nihili nobis esse viderentur percensuimus, eas lectiones enumerare et collaudare non neglegemus, quas pro genuinis verisque habemus. 2, 27 *Nunc Quirites*, quod iam antea Baiterus pro reliquorum codd. *nunc quia* acute coniecerat. Veruntamen haec lectio, quae facillime ab homine docto proficisci poterat, praestantiam virtutemque libri esse magnam non demonstrat; si enim ceteros locos, ubi Quirites legitur, perlustrabimus hoc verbum per compendium q vel simile quoddam (o 19 Z. var. lect. ad 2, 5; ad pro Mur. 3: *iudices* 19 *inscribit o et sic ubique in vocativis)* scriptum fuisse facile apparebit; hoc vero multis locis in uno vel altero codice cum *que quia quidem* aliis id genus verbis commutatum est cf. 1, 1 *quia* f *mihique* e f *mihi quidem* 19 Z. 2, 9 *omniaque* f 2, 5 *q* f, Baiter. ad p. 611, 31. Quum vero omnia errata in hac voce enumerare longum sit, eos tantum locos praeterea afferam, ubi Z. ex 19 aliquid mutavit: 1, 1 *mihi quidem* 2, 1 *mentibus animisque* pro *mentibus unaque*, unde

Turnebus *mentibus una Quirites* coniecerat, acute emendavit; minus plausibile est 2, 67 *Hoc quoque multo est quaestuosius* pro *Hoc, Quirites.* Ubi vero 19 *Quirites* plane omisit, id recte factum esse vehementer dubitabis, si legeris, quae de huius libri omissionibus paullo post disputabimus; unusquisque enim videt, quam facile in codice, qui tot scribendi vitiis scatet, compendium o ante literám similem a librario neglegi posset ut 2, 16 *Quae quum o exposuero* 2, 20 *fides erga pleb. R. q aequitas* 3, 16 *praesertim q quum.* Neque magis libri integritatem inde cognosci et demonstrari quisquam concedet, quod 2, 39 post vocem *primum* conservarit *enim,* quod facillime litera m in reliquis codd. absorberi poterat, vel quod 2, 85 *a Stellatis et* quod iam ante Turnebus pro *ac Stellatis et* invenerat 2, 90 *Carthaginiense* (etiam antea ex coniectura emendatum) pro *Carthaginiensium* (sequitur enim *Corinthium, Numantinum;* unde causa corruptelae cognoscatur) ibid. *Perse* pro *Persa* recte exhibet. Neque negari potest 2. 99 *tutatum victoria atque* ubi Z. *tutati sumus* praeter necessitatem (cf. Kayseri edit.) coniecit, laude non esse indignum; nec tamen hunc librum unum optimum ducem in his orationibus recensendis sequendum esse his quae modo proposuismus satis doceri putamus.

Restat, ut huic primo loco pauca adiungamus, quae de pronominibus *hic* et *is* ante enuntiata relativa saepius in 19 commutatis dicenda habemus. Est haec quaestio difficillima, quae vix ex talibus codd. quales in his oratt. nobis praesto sunt, pendere possit; omnes igitur loci certis rationibus ex horum verborum natura et usu atque ex sententiarum nexu sumptis constituendi erunt. Quum enim in plurimis libris Mss. recentioribus, tum in 19 permultum in litera quae est *h* addenda vel omittenda peccatum est cf. 1, 2 hodium ib. 3; 2, 91; 103 inhertiorem 1, 6 cohercere 2, 4 honoratius pro ornatius ib. 51; 53 pontho 2, 10 exausto. Si vero quae grammatici nostrates de significatione pronominis *hic* ante enuntiata relativa proposuerunt, respexerimus, Krügerum Dietschium Reisigium in primis secuti, haec statuemus: *„huic pronomini semper suam vim esse, ut quod praesens aut sit aut cogitetur notet, relativum vero enuntiatum ad accuratius rem significandam tantum addatur; contra ubi relativo id contineatur,*

quod solum rem illustret, non h i c *sed* i s *esse dicendum. Igitur* h i c *ibi tantum scribendum esse, ubi relat. enuntiatum salva sententia abesse possit.*" Quae si vera sunt, 1, 1 *Dabitis igitur Alexandriam clam petentibus* h i s, *quibus apertissime pugnantibus restitistis* restituendum erit *petentibus iis;* nisi enim Z. qui homines fuerint in adn. exposuisset, nemo eos ex oratione cognosset; accuratius demum describuntur et definiuntur enuntiatione relat. *quibus* etqs. Idem valet in 2, 1 *ut hi, qui beneficio vestro imagines familiae suae consecuti sunt, eam primam habeant contionem* 2, 95 *quam ex* h i s *rebus, quae ab ipsa natura nobis ac vitae consuetudine suppeditantur, quibus alimur et vivimus* 2, 103 *nam si* h i *qui propter desidiam in otio vivunt* — neque minus de 2, 73 *Quisne locus* h u i u s m o d i *est, ut nihil intersit reip., colonia deducatur in eum locum necne?* ubi interrogatio ipsa hanc naturam atque indolem huius loci nondum notam et perspectam esse docet. Ferri potest 2, 55 *illud queror, tam me ab* h i s *esse contemptum, ut haec portenta me consule potissimum agerent,* quia in iis quae modo praecesserunt quales essent illi, orator exposuit. Rectissime Z. *hic* pro *is* in his locis restituit: 2, 21 *Atqui hi* (hi omnium rerum domini) 2, 34 *Magistratus his petere licebit;* pro *his* optime *iis* scripsit 2, 24 *ne in* i i s *quidem magistratibus, quorum certus ordo est;* minus vero bene 2, 55 *Atque in omnibus* i i s *agris aedificiisque vendendis permittitur Xviris, ut vendant quibuscunque in locis videatur,* ubi agri illi de quibus in his oratt. ubique sermo est, non iis quae sequuntur accuratius definiantur necesse est, sed sunt in universum noti iisque qui audiunt semper ante animos versantur.

2. De locis ubi 19 verba omisit.

Ac quae de 19 variantibus scripturis disputanda habebamus omnia proposuimus; deinceps ut erat propositum ad o m i s s i o n e s, aliud vitiorum genus, transeamus. Quas aliter nominare vix possumus, quamquam Zumptius p. XXVIII sqq. e contrario has diversitates maxima laude effert; quum enim in e paucissimae interpolationes apertae deprehenduntur, in 19 vero compluria verba, quae abesse non possunt, per neglegentiam solam, ut videtur, omissa sint, maxime cavendum est,

ne cum Zumptio quod abesse possit abesse oportere statuamus. Librarium autem minima diligentia, sed quam velocissime scripsisse quum ea menda quae iam perlustravimus tum hae praecipue docent omissiones: 1, 8 *exierunt* 1, 10 *in* post *enim* ibid. *a(b) Hiempsale* cf. pro Mur. 39 *a(b) delectatione* 1, 13 *in* ante *huius* 2, 22 *Xviros (quos)* 2, 27 *posse (habere)* 2, 35 *non**). Ut in his paucis, quae tam aperte falsa sunt, ut ne Z. quidem ea defenderit, sunt quae propter similitudinem vicinarum literarum exciderunt *(enim (in) uectigali, Xviros (quos), (in) uectigalia),* ita in iis quoque quae Z. ex verborum ordine expulit: 1, 10 *iubet (enim) eiusdem;* nam *enim* per compendium scriptum voce *eiusdem* facile hauriri poterat; ibid. *possint (et) liberare* 1, 12 *audite (audite)* cf. pro Mur. 78; 2, 55 *a nobis (ab)alienare; a* pro *ab* ante literas consonas ut in *a Hiempsale* ante vocalem in 19 saepius invenitur 2, 56 *a(b) Sulla.* 2, 79 *a(b) se* 2, 51 *ante a Sulla* pro *antea ab* pro Mur. 33 *a(b) Lucullo* 52 *a(b) rep.;* 2, 66 *in emendis et (in) uendendis rebus;* quam bene enim in hoc genere praepositio repetatur notum est cf. Krüger gramm. lat. § 691 adn. 2; ita 2, 46 *ad socios liberandos an (ad) opprimendos,* ubi Z. 19 invitus tantum obedivit, *ad* minime omittendum erat; 2, 66 *aliove (de)ducamini* 2, 85 *hosti (sic) huic* 2, 79 *Aniensem* pro *Arn.* ibid. Cicero multo fortius de agro aliquanto deteriori ironice dicit: *Quasi vero paululum differat ager Campanus a Stellati!* quam si *paulum* cum 19 legimus. Similiter exciderunt 2, 6 *eadem (mihi) qua et* 2, 12 *si lex utilis plebi R. (mihi) videretur;* nec enim verum esse, quod Z. ad h. l. disputat: »non tam efferendum fuisse, si s i b i videretur lex utilis, quam hoc, si amicis suis ceterisque qui cognoscerent« tota oratio reliqua docet; nam nullo loco de amicorum vel aliorum iudicio in hac re dicit, sed semper solus de huius legis utilitate cognoscit cf. 2, 14 (hoc animo ad legendam legem cognoscendamque veni), *ut si eam vobis accommodatam atque utilem intellegerem, auctor eius atque adiutor essem.* —

*) Quae exempla etiam non paullo ex Mur. augeri possunt, ut 4 *Januariis (esse)* 17 *ut aditus (ad consulatum) posthac* 28 *dignitas in ista (scientia) consularis* 37 *petionem* pro *petitionem* 40 *restuit* pro *restituit* 47 *editios* pro *edititios.*

Deinde haud paucae omissiones inde ortae sunt, quod oculi librarii festinantis et neglegentis, ut fieri solet, ab uno aliquo verbo ad simile vel idem parvo intervallo repetitum aberrarunt; ita non solum in singulis vocabulis peccatum est, sed totae etiam enuntiationes exciderunt. Sic 2, 15 *reperio, Quirites, (nihil aliud cogitatum), nihil aliud susceptum, nihil aliud actum* non modo nihil est, quod contra verba *nihil aliud cogitatum* afferi possit, sed non paulum eo commendantur, quod si ea cum ceteris codd. retinemus, pulcherrimum asyndeton trimembre existit. — 2, 80 *patiemini? (quod si posset ager iste ad vos pervenire, nonne eum tamen in patrimonio vestro remanere malletis? unumne fundum pulcherrimum populi R., caput vestrae pecuniae, pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonae disperire patiemini?) an obliti estis,* 19 solus omittit eiusque auctoritatem h. quoque l. Z. secutus est. Quibus vero haec verba non solum abesse posse, sed etiam oportere demonstrare conatur, ea me non omnia prorsus intellegere confiteor. Quomodo enim orator, postquam de commodo plebis dixit, hac sententia ad amplitudinem et dignitatem transitum faciat, equidem non video. Nihil enim utilitatis hanc legem agrariam populo R. afferre § 76—85 exponit, quo facto demum § 86 de dignitate in discrimen vocata disserendi initium facit. Contra h. l. plebem iis bonis, quae iam possideat, privatum iri demonstrare incipit, postquam nihil commodi ex colonia Capuam deducenda eam esse accepturam docuit. Deinde Z. non propria ad transitum significandum instituta, ne apta quidem esse haec verba arbitratur. At vellem, homo doctissimus indicasset, cuiusmodi verba requireret. Nonne aptissima atque ad transitum faciendum accommodatissima est sententia: Si quae modo exposui vera non essent, tamen agrum illum ita a vobis abalienari non concederetis; fundum populi R. qui tot virtutibus excellat pessumdari non pateremini; nam etqss. Ad quem transitum nimia verba facta esse § 79, ubi *primum* et *Aut* inter se respondent, et § 82, ubi una particula *At* de nova re indicat non demonstrant. Priore enim loco duae res simpliciter enumerantur, neque tamen mera particula *aut* transitus fit, sed additum est: (Aut) si hoc a se dictum negat et satisfacere

omnibus cogitat —; alterum autem *at,* ut solet (cf. Hand, Tursell. I p. 439 sqq. Seyffert, schol. lat. I § 21) in interrogatione cum indignatione conjuncta legitur. Uterque igitur locus aliter atque hic comparatus est; hic enim, si omnia illa verba eicimus, nulla particula adest, quae quomodo hae enuntiationes cohaereant indicet, nulla sententia, quae ab una ad alteram ducat: lacuna in cogitationum nexu esset. Nam interrogatio illa particula *an* introducta habere debet, cui opponatur, ad quod pertineat cf. Seyffert l. c. § 51 sqq. Si vero verba, quae Z. eiecit, retinemus, sententiarum nexus restituitur. Interrogatio illa non ad haec verba omnia referenda est, sed ad unam tantum partem: ad *vectigalium fundamentum.* Quo de usu idem Seyffert, l. c. § 53 disputavit, collato pro Mil. 23, 63 ubi *An vero obliti estis* etqsqq. *ad praesentiam animi, defensionis constantiam* tantum spectat. Itaque haec verba ad disputationem de vectigalibus solis optime transitum facere, neque nisi ad disputationem de agro Campano incipiendam vel concludendam pertinere posse facile apparet. Veruntamen in iis quae sequuntur Cicero de alia re atque de agro Campano verba facere vix dici potest; sunt enim vectigalia caput utilitatum, quae inde ad populum R. redundant; et hac sola re argumentum illud triplex, quod Z. in iis quae sunt usque ad § 84 invenit, sententia inter se cohaeret. Neque enim homines audaces Capuam deduci, sed populum R. nullam glebam de pulcerrimis vectigalium sedibus possessurum esse dicit. Deinde Z. verba *quod si posset ager iste ad vos pervenire* vituperat, quoniam ager iste iam apud Quirites sit, atque si alius quis eum dividat, revera ad singulos possit pervenire. At Cicero, quum agrum non sufficere exposuerit, ut duodena iugera singulis darentur, *quod si posset* rectissime dicit, neque putaverim esse quenquam, qui *pervenire* quod § 85 eodem modo usurpatur non recte interpretetur; *singulos* vero vel simile quid addere non erat necessarium, quoniam ex iis quae praecedunt quomodo haec verba intellegenda sint patet. Quae autem Z. contra singula vocabula dicit, vix necesse est, ut refutemus; nam cum oratione in senatu habita haud pauci loci huius orationis ad populum consentiunt, neque tamen pro interpolatis habendi sunt; atque de verbo *dispereundi* idem

valet atque de *disperdendi*, quod certo nemo eiciet. Quae verba omnia, postquam ita optime explicari et propter sententiarum nexum ne abesse quidem posse demonstravimus, non minime eo quoque fulciuntur, quod quomodo exciderint luce clarius apparet. Quum aliis locis tum praesertim hic librarius a priori *patiemini* statim ad alterum nimia festinatione aberravit, ut totum hoc enuntiatum quamvis longissimum omitteret. — Etiam 2, 44 *Quo(d si Alexandria petebatur, cur non eosdem cursus quos) L. Cotta L. Torquato cons. cucurrerunt*, similitudine vocabulorum *quod* et *quos* factum est, ut totus fere versus omitteretur. Qui quamquam non omnino necessarius est, tamen optime ferri potest. Quis enim in locutione *cursus currere* haerebit, quum Cicero ceterique Romanorum scriptores accusativis interioris obiecti cum forma etymologica coniunctis saepissime utantur? Cf. Krüger, gramm. lat. § 304. Numerum vero plurativum, quem Z. ineptum vocat, quidni de variis horum hominum conaminibus Alexandriae petendae intellegere possumus? — 2, 96 *contemnent: (agros vero Vaticanum et Pupiniam cum suis opimis atque uberibus campis conferendos scilicet non putabunt; oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum ac iocum contendent:) Labicos, Fidenas* — eodem modo propter similitudinem vocabulorum *contemnent* — *contendent* exciderunt. Quae quum neque propter inelegantiam verborum neque propter sententiae ineptiam ne Zumptio quidem iudice reprehendi possint, summa iniuria interpreti docto attribuuntur; nam doctum illum hominem fuisse oportere, qui talia addere potuerit, Z. ipse, qui primus haec ex verbis Tullianis eiecit, intellexit atque demonstravit. Quis vero illo tempore, quo codd. Erf. et Lagg. reliqui scripti sunt, tam in antiquis Romanorum literis versatus erat, ut talia interpretamenta orationibus Ciceronianis addere posset? Si vero iam Ciceronis aetate vel paulo post in harum orationum recensionem venissent, in 19 quoque legi deberent, nisi casu quodam excidissent. — 2, 99 *vestris urbibus* propter *vestris praesidiis* excidit; quidni enim Cicero qui saepius ut 2, 98; 1, 16 Xviros in animo habere, novam urbem contra populum R. comparare, omnesque urbes sub potestatem suam subiungere exposuit, h. quoque l. de *urbibus* dicere potuisset, equidem non intellego.

Ex his, quorum ratio prorsus certa est, facile perspici poterit, quae sit codicis 19 auctoritas in verbis omittendis. Reliqua quae Z. eo duce delevit, ut defendamus, ferri ea posse demonstrasse sufficiet, quamquam causae cur hoc vel illud omissum sit cognosci certaeque afferri non possunt. Sic 1, 5 *Tum (vero) ipsam* 2, 71 *ut (vero) cum* 1, 19 *ac (vobis) novam dominationem comparare* 2, 10 *quorum consiliis, sapientia, (legibus)* 2, 40 *belli lege et victoria(e iure)* cf. in Verr. 4, 116 *neque more belli neque iure victoriae;* 2, 6 *(lege et) condicione,* legem vero et condicionem C. coniungere amat, ut fragm. orat. de lege agr. apud Aquilam Rom. *Mysia et Phrygia eidem condicioni legique parebunt* pro Mur. 60 pro Caec. 40; 2, 45 *quod (vestro) non suo nomine abutuntur* ibid. *per (totum) orbem terrarum* 2, 48 *ego (praeconi) huic* 2, 53 *compositum (esse) arbitror* 2, 54 *ad ipsum pervenire* pro *ad ipsius exercitum p.* 2, 57 *quae (est) haec* 2, 60 *omnibus imperatoribus (vestris)* 2, 64 *in publicis privatis(que)* cf. Naegelsbach, praec. stil. lat. p. 482; 2, 68 *qui agros publ. aut (qui) possessiones invidiosas tenebant* 2, 81 *quod (ei) tenebant, quibus* — 2, 90 *bella (gesta) cum regibus* 2, 100 *nulli me vobis auctores generis (mei) commendarunt* 3, 12 *quae maiores vobis in Italia, Sicilia (Africa), duabus Hispaniis, Macedonia, Asia reliquerunt*, ubi Africa in enumeratione earum provinciarum, quarum agros publicos Rullus vendebat, ceterum plenissima, aegre desideratur; 1, 21 *sub signo claustrisque reip. positum (vectigal) servare non potuisse*, nescio, num *vectigal* retinere praestet; ferri saltem potest. 2, 3 *et eum locum, quem nobilitas (praesidiis) firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat* Z. *praesidiis* eiecit, quia ita nude ad translationem adhiberi non possit. Quum vero propria significatione sic usurpetur et hic fere proprie ad *locum* pertineat, quod verbum ipsum a bello translatum est, non video, quidni etiam sine genetivo vel adiectivo translatum ferri possit. Et si retinemus, conformatio et aequalitas orationis duobus participiis cum singulis ablativis coniunctis non paulum augetur. Neque magis in iis quae paulo post leguntur: *quo modo pauci (nobiles) in hac civitate consules facti sunt* verbum *nobiles* insigne emendatoris additamentum esse cognoscere

possum. Nam quum nihil sit, cur ferri non possit, eo quod vocabulum *novus* ante *me nemo* opponitur, vel requiritur. — 2, 29 *si hoc fieri potest, ut in hac civitate, quae longe jure libertatis ceteris civitatibus antecellit*, (*quisquam nullis comitiis*) *imperium aut potestatem adsequi possit.* In his verbis Z. pro *ut* scripsit *si sic* et *quisquam nullis comitiis* eiecit. Quamquam huius loci non est, de eius emendationibus disputare, tamen hoc breviter dixerim: neque illa mutatio *si sic* pro *ut* facilis est cum ceterisque horum codicum vitiis consentiens neque tam ab usu sermonis latini abhorret, idem verbum ut h. l. *posse* superflue repetere, praesertim quum priori loco non prorsus idem atque altero significet. Nam in locutione *fieri potest, es ist möglich* procul dubie ne Romani quidem iam notionem verbi *posse* propriam tam bene sentiebant, ut in enuntiatione inde pendenti idem verbum ponere non potuerint cf. Tusc. 1, 6 *fieri autem potest*, *ut recte quis sentiat et id quod sentit polite eloqui non possit;* brevi intervallo, sed paulo aliter repetitum etiam de orat. 2, 180 invenitur: *haec res tantum potest in dicendo, ut ad vincendum nulla plus possit;* cf. talia ut *nolite velle* apud Tischer. ad pro Mur. 25, 50; praeterea de divin. 1, 129 *sentiunt inter se quid quisque sentiat* de Off. 1, 8 *sic definiunt ut definiant.* Quam Zumptii mutationem si omittimus, *quisquam nullis comitiis* addi oportere per se apparet; *curiatis* vero, quod Z. desiderat, addere oratorem non opus erat. — 2, 33 *cognitio* (*sine consilio*) quae duo verba Z. eiecit, propter aequabilitatem et congruentiam orationis aegre desiderantur, quod *poena sine provocatione et animadversio sine auxilio* simili modo cum ablativis et praepositione *sine* coniuncta praecedunt, et propter sententiam postulantur, quod Cicero totam eorum potestatem quam maxime odiosam describere vult. Num vero haec cognitio sine consilio lege vetita vel iussa sit necne nihil ad rem; his Xviris sine consilio iudicare licebat, utrum agri privati an publici essent, et hoc ad invidiam huius potestatis }augendam non paulum attribuisse inde patet, quod idem 2, 57 commemoratur: *Hoc quantum iudicium, quam intolerandum, quam regium sit, quem praeterit? posse quibuscunque locis velint, nulla disceptatione, nullo consilio privata publicare, publica liberare?* — 2, 43 *vendet Aegyptum* post *vendet Alexandriam*, quanquam necesse quidem non est, tamen optime ferri potest, praesertim quum 2, 41 *Quid Alexandria cunctaque Aegyptus?* haec duo verba similiter coniuncta legantur, et in apodosi *opulentissimum regnum* ut 2, 41 *illud regnum regis Alexae* ad Aegyptum aptissime spectare possit. — 2, 91 *non contentione*, *non ambitione discordes* minime tulliana esse Z. recte exposuit; neque tamen eici debent. Nam si eam enuntiationem quae sequitur contemplabimur, haud dubie aliquid desiderabimus. ad quod *enim* referatur. Talem enim usum liberiorem huius vocis, qualem Z. statuit, exemplis comprobari vix putaverim, ideoque non possumus quin in 19 totam sententiam atque in ceteris libris aliquanto minus excidisse censeamus. Hoc vero Pluygers, homo doctissimus, qui *non discordia* scripsit, egregie restituit. — Difficile est, certum aliquid proponere de 2, 3 *non ad alienae petitionis occasionem interceptus* et 2, 30 *tantummodo si quis ea potestate (temere) est usus, existimamus,* qui loci graviter corrupti sunt. —

Quibus expositis, quamquam uno vel altero loco singula recte omittuntur, ut 1, 19 *neque aliud quidquam* (*in urbe*) *nisi inane nomen Capuae reliquerunt* 2, 19 *quod populi semper* (*proprium*) *fuit;* (veruntamen cf. 2, 18 *quod — maiores nostri proprium nobis reliquerunt,* ubi etiam vocem optime omitti potuisse 2, 84 docet: *Hunc agrum nobis maiores nostri reliquerunt;* Krüger, gramm. lat. § 344 adn. 1.) 1, 25 *fiant* (*ostendero*) *pertimescam*, quibus addatur 1, 3 (*populo R.*), quod vero, si recte eicitur, non docti cuiusdam additamentum habendum erit, sed nihil est, nisi repetitio primarum literarum vocis, quae sequitur *parta;* simile casu 1, 16 *harum* (*omnium*) *rerum* ortum est et 1, 20 *nata* (*in*) *ibi esse* 2, 49 *libente illo*, *tamen absente* (*illo*) cf. Naegelsbach praec. stil. lat. p. 466, 3., 2, 30 *si quis ea potestate* (*temere*) *est usus* — tamen in hoc genere librariorum festinatione et neglegentia nimium peccatum esse apparet; nisi igitur aliae causae accedent, quibus auctoritas denegari non potest, non facile adducemur, ut 19 fidei tantum, quantum Z., credamus. Quae vero in e omissa a 19 explentur, praeter dubium 2,95 *Liguri montani*, quod docti cuiusdam interpretamenti non dissimile est, non magni pretii sunt, ut

1, 3 *(tamen) sane consume* 2, 26 *ab eo praetore (populi R.), qui sit primus factus* 2, 32 *tum;* 1, 12 *quod ad quemque pervenit (aut pervenerit)* re vera recipiendum erit, quoniam librarii neglegentia nihil facilius excidere poterat, quam alterum horum tam similium verborum; sed tum illud *aut* repetitione ex *nit* ortum, omittendum erit.

3. De locis ubi Zumptius verba transposuit.

Postremo iam venimus ad rem difficillimam spinosissimamque, quae vix ubique certis rationibus nitatur, ad *verborum collocationem;* quae quam ambigna sit, quam nihil efficiatur maximam partem similibus locis comparatis, quantum libri scripti in hac re fluctuent, non est quod uberius exponamus. Nam quum librarii ita scriberent, ut compluria semper verba memoria reciperent, facile fieri poterat, ut in verborum collocatione, quae per se iam liberrima apud Romanos esse videtur, permulta mutarent. In hac quoque re codicis 19 auctoritati non nimium esse tribuendum, quae modo exposuimus, procul dubio satis docuerunt. Ut vero perspicue appareat, quam difficile sit in plurimis locis certas aliquas rationes invenire, quibus unam tantum collocationem veram esse demonstretur, ad 1, 9 ubi *omnium rerum* 19 pro *r. o.* exhibet, omnes relicuos locos harum orationum, ubi haec verba leguntur afferemus. *Omnium rerum* scriptum est 1, 15; 2, 21. 22. 25. 42. 54. 63. 95. *rer. o.* 2, 62. 34. 60. Quamvis *o. r.* multo saepius inveniatur, tamen vix erit, qui ideo omnibus locis, qui 1, 9 tantum necessario restituendum putet. Tales vero rationes, unam vel alteram lectionem esse exquisitiorem, elegantiorem, fortiorem nimis ad arbitrium usurpari possunt, neque certi aliquid quum in reliquis scripturae diversitatibus, tum in verborum collocatione iis constitui poterit. Sunt autem mutationes, quas Z. in verbis ponendis 19 duce fecit, hae: 1, 9 *tu populi R. subsidia belli, tu pacis ornamenta* pro *orn. pac.* chiasmo inter *subsidia belli* et *pacis ornamenta* et 2, 80 *pacis ornamentum, subsidium belli* fulcitur; contra vero afferi potest pro Mur. 29; 1, 17 *id neminem nostrum cuiusmodi esset intellecturum existimatis?* pro *cuiusmodi esset nostrum* — 1, 10

futura sit 1, 13 *habeat pecuniae* 1, 20 *nata esse ibi* pro *nata inibi esse* 1, 21 *hoc solum* 1, 25 *neque rem ullam* pro *n. u. r.* 1, 27 *ipsum me sibi* pro *me ips. s.* 2, 2 *honore sim singularique iudicio* pro *h. sing. i. sim* 2, 3 *quod ipsum est per se amplissimum* pro *q. est ipsum p. se ampl.* ideo mihi minus placet, quod illud *ipsum* pluribus verbis praegressis voce facilius, ut requiritur, efferri potest; neque vero a verbis *per se* non disiungi docent de fin. 2, 82 *amicum ipsum amari per se* ad fam. 3, 9, 5 *amplitudo mihi est ipsa cara per se;* 2, 5 *neque nocturnae neque diurnae* pro *diurn. n. noct.* 2, 6 *qui aditum huius loci conspectumque vestrum partim magnopere fugerunt, partim vehementer non secuti sunt* Z. interpretatur, Ciceronem duo superiorum consulum genera facere, eorum qui contionem populi vitarunt et eorum, qui quamvis consulerent, utilitatem eius tamen neglexerint. Quum vero h. l. *non sequi* aperte fere idem atque *fugere* significet, quomodo hoc de contione vitata, illud de utilitate populi neglecta intellegere possumus? Haud dubie inter se discernuntur ii tantum, qui contionem omnino vitarint *(magnopere fugerant)* et ii, qui raro contiones habuerint *(non vehementer secuti erant)* quod contra 19 restituendum erit. 2, 13 *descriptam legem ad me afferunt* pro *ad me legem* reiciendum est cf. 2, 6 *vestrum de me factum* 2, 28 ubi 19 *de his legem curiatam* pro *legem de his c.* habet; 2, 8 *vestrum otium* 2, 14 *vobis ratione* 2, 16 *esse videbuntur; nullo labore vestro* pro *n. v. l.* 2, 17 *legum ac rerum* 2, 20 *habere comitia Xviris creandis* pro *hab. com. d. cr.* 2, 22 *animorum vestrorum* 2, 27 *prima illa* 2, 28 *habere potestatem* 2, 31 *lex ipsa; esse creator* 2, 35 *imperium vestrum;* ut *eis liceat* 2, 36 *tam est obscurum* pro *est tam o.* 2, 37 *facta numquam; potestas permittitur* 2, 39 *non possint Xviri* pro *Xviri n. p.* 2, 50 *hanc totam; Haec clarissimi viri P. Servilii imperio et victoria* pro *Haec P. Serv. imp. et v. cl. v.* 2, 56 *auctione sua; pergrande vectigal* ut 1, 10; 2, 73 *est plane qui* pro *est qui pl.* 2, 89 *totam Capuam.* 2, 92 *et P. Rullo reprehendenda* pro *repr. P. R.* habet quo se commendet, ut etiam 2, 53 *mea lege* 3, 14 *iure nullo.*

De codice Parisino 7774.

Omnibus quae modo exposuimus accurate perpensis atque examinatis, iam non dubitandum erit, quin omnes libri in quibus hae oratt. agrr. inveniuntur, et Germanicae et Italicae familiae, alii magis alii minus ab hominibus doctis emendati et interpolati, postea librariorum neglegentia non paucis mendis inquinati sint et depravati. Quantum scimus, non iam codex exstat, qui tantum praeter ceteros antecellit, ut dux fide dignissimus vel solus vel praecipue sequendus sit. Neque multum abest, quin prorsus ad G. Sorofi sententiam deveniamus, qui libros meliores in his orationibus numerandos esse censet. Quae quum ita sint, haud dubie multum interest, quam plurimos libros meliores nosse ideoque ex sex*) quos accuratius inspeximus cod. Par. 7774 ut optimum elegimus, cuius collationem huic disputationi subiungeremus.

Secundum ea quae praemisimus noli exspectare codicem praestantissimum esse melioremque omnibus adhuc notis; sed est liber familiae Italicae et permulta vitia cum iis communia habet cf. 1, 5. 11. 2, 5. 7. 34. 81. 90.; attamen multis caret atque ita lectiones receptas confirmat 2, 27 *sin is* 2, 17 *sint* 2, 95 *montani,* nonnullas novas non malas solus exhibet 1, 2; 2, 30. 2, 64; verba necessaria raro omittit, ut perdiligenter scriptus, compluribus glossematis certis 1, 2; 2, 3 solus vacat. Quem ex exemplo antiquiori, propius quam notos ad illud Poggianum accedenti descriptum esse ex his antiquitatis vestigiis et reliquiis videri licet: 2, 10. 77 *partis* 2, 39 *Trallis* 2, 66 *similis* 2, 75 *omnis* 2, 88 *adfluentis* 2, 99 *civis; gentis* 1, 2 *urbis* quod nondum restitutum 2, 103 *qualis — talis;* 2, 49 *Pompei* et 3, 4 *Valgi* qui genetivi etiam restituendi erunt. Sed quo facilius et accuratius eius natura atque indoles perspiciatur primum relicuas orationes, quas continet enumerabimus lacunis diligenter indicatis (puto enim

*) Burlei. 157. 159. Arundel. 382. Paris. 7788. 7825. 7774. Insunt etiam oratt. agr. in Par. 7779. Sorb. 485.

omnibus omnium librorum latinorum et praecipue tullianorum lacunis accuratissime notatis ad familias originemque eorum investigandam permultum effici posse), tum lectionis diversitatem integram addemus paucisque illustrabimus.

Hoc codice membr., in fol., saec. XV., nitidissime et diligentissime scripto hae oratt. tull. continentur: 1, pro Rosc. Am. 2, pro Quinct., ubi post 30, 92 addicatur *lacuna XVIII versuum est cum adnot:* Tantundem deficit in antiquissimo codice et in nullo alio reperitur; *3, pro Caec. 4, pro Rab. cum adn. marg. post* 6, 19 concedis inter † sit: Hoc in loco in veteri exemplari deerat una carta ac etiam in nullo alio reperitur. t. inter † sit. hic verbum caret, *et post* 11, 31 civium: in exemplari veteri desunt duo folia quae fuerunt abscissa; *5, pro Rosc. Com. mg:* Haec oratio non invenitur perfecta in codice ullo, sed ut in exemplari reperitur transcribam *et in fine:* deest reliquum; *6, pro Cluent. 7, pro Balb. 8, pro Leg. Man. 9, Invect. ll. I—IV in L. Cat. 10, De L. Agr. ll. III. cf. infra; 11, pro Mur. adn. in mg.* 28, 58 *inter* persequatur *et* Venio: Hoc loco deficit multum; *12, Ad pop. pridie q. i. in ex. 13, »qua gratias egit.«*

Varietas lectionis ad Kayseri editionem enotata.

M. T. C. DELEGE AGRARIA CONTRA P. RULLU LI I. *mg:* Deficit principium et non invenitur. — 1. Xviri) *inter* Xviri decemviri *variat**). — his)iis. — apertissime. 2. helluo. — rempublicam) *in hoc verbo per comp. scripto inter* r. p., rep., reip., reipu. *variat.* — populi romani) *modo per* p. r. *modo* po ro *scriptum legitur.* — proscribit. — atque *ante* afferet *om.* — urbis. — 3. quoniam — 4. perproscriptam. — Januar. — iccirco. — vendiderunt. — 5. quoad fecerit iter. — P. *ante* Servilii *om.* — Olimpenorum. — Persen) per semper. — tectis atque) tectis ac. — 6. iubet. — 7. eiusmodi. — constituunt) constituerat. — divendere) dividere. — 8. et privatum ad negotium) ad privatum negotium. — immittantur. — 10. Sylla. — eidem) iisdem. — federe. — Affrica. — 11. attinuerit. — putet. — usquam nummus. — quem non) quae non. —

*) De talibus semel in universum dixisse sufficiet.

regesque. — 12. iccirco. — 13. ut illa) illa. — adiunxerint. — 14. patres conscripti) p. c. *sic semper.* — 15. intollerandam. — 16. esse haec omnia) haec omnia esse. — colonii. — 17. Quod) quid. — cuiusmodi esset neminemve vestrum. — 18. modeste. — 19. substulerunt. — 20. Hanniballem. — corrumpit. — inibi haec ex. — 21. praemitto. — gravissima et verissima. — vos capud. — solum hoc. — 22. cogitarint. 23. dedictionibus. — 24. vendictionem. — 26. Kal. Januarii. — aliud) alium. — cohercere. — extremum *mg.* al: externum. — 27. siquis) siqui. — a delictis. — me ipsum.

M. T. C. DELEGE AGRARIA CONTRA P SERV L. II.

1. ei) hi. — contionem. — mihi q. — 2. honore singularique iudicio sim. — dicam si) dicam ut si. — 3. perlongo) longo. — nec me) neque me. — est ipsum per sese. — de novis hominibus *ante* reperietis *om.* — petierint anno suo. — 4. Quir. *plerumque per hoc compendium scribitur.* — me *ante* non *om.* 5. magis. — quae cum quidem omnibus. — neque diurnae neque nocturnae. — cum errato. — 6. id dictu. — 7. essem popularis. — verbi *om.* — 8. Kal. Jan. — 9. popularem me. — est *post* iucundum *om.* — in ante imperio *om.* — qui iccirco. — uti. — possemus. — 10. ac populare. — neque si) nec si. — si aliud quiddam) sed si aliud quidem. — amantissimos. — nephas. — 11. tr. pl. *sic ubique.* — reip. *exp.* bene administrandae r. p. — 12. ullam) illam. — quibus in rebus. — 13. concitata iam pridem) contio tamen (*mg.* al. tandem). obsolentiore. — antea. — conctionem inprimis. — tamen si. — tandem *post* aliquando *om.* — legem ad me. — 14. hoc ratione vobis. — dissidio. — 15. huiusmodi. — sed et honeste. — atque. — atque nomine. — vobis dari. — 16. libertati nostrae. — vestro labore. — libertati nostrae. — 17. rerum ac legum. — duxerit. — triumviri, quinque viri. — hocquando. — tum eas) tamen eas. — fortuitu. — caeteris. — 19. virum nobilissimum) hominem n. — quod fas esset quod. — potest tamen) poterat potestate. — 20. quod spectarit. — aequitas) Q. aequitas. — comitia decemviris habere. — denuntiare. — putantur. — 21. ductae. — hi)ii. — notis) novis. — viginti) XX. — se denegare. — eae)hae. — Ebutia. — sed etiam … curatio *in mgne.* — 22. alios) illos. — do-

minis) dominus. — lege *post* hac *expunctum.* — periculi *om.* — leges sibi sua lege curationes. — idem *om.* — in iis) unus. invidiae. — ei parte. — 23. ei) hi. — diligendi. — ornari) ornate. — 24. legiptimum. — in eis) in his. — ne si) sive. — adscriberetis. — îdignitate. — libertatem vestram hac lege funditus tolli. — 25. existimabitis. — acceperitis. — uti. — putetis. — 26. ei) ii. — qui quod) quicquid. — centuriana. — 27. nunc Quirites illa prima) nunc prima quia illa. — voluerunt. — 28. habere potest. — ut obscurum. — 29. tum ei) tum ubi. — iure longe. — posset. — quoniam quarto. — XVviri) Xviri. — hiis. — 30. saepe — trib. pl. *mg.* — praetor) PR. — intercedere) interdicendi. — quam si) quasi. — 31. acceperint. — atque ad usurpationem. — nos omnes. — tresviri. — 32. regiam) legum. — mulis) mutis. — finitores) tum ianitores. — ledunt. — 33. intollerantiam. — 34. his) iis. — quos velint. — de maximis) e m. — illi) ulli. — 35. aliquo at) aliquo ac. — vero *post* hoc *om.* — vestrum imperium. — vobis) a vobis. — sc. — Tulio. — cons. — 36. accedent. — etiam illa) et illa. — 37. s c. — facta numquam. — potestas permittitur. — 38. intelligitis. — aedificia) quae aedificia. — putasset hoc forte. — adscripsit aliudve. — 39. primum hoc quaero enim qui. — Cizicum. — recuperata sit. — 40. quod iam) quoniam. — haereditatem. — stativa. — certe) terrae. — 42. L.) Lucium. — petentem fieri. — 43. abiudicabit. — idem *post* ergo *om.* — 44. Primum cur) Primum tum. — ut cum. — an qui etesiis) an quietis quaeris. — taetris. — 45. unaque. — 46. urbem) urbe. — ut hospes) aut hospes. — quam) qua. — eidem qui haec) idem qui hoc. — Pomp. — impudenter. — 48. recita) recitas. ipsi) ipsam. — 49. Quirites commovere) Quir. quas commovere. — Pompei. — absente illo. — 50. et resistam. — comparari *mg.* — Thasiletum. — Olimpenorum. — Agerensem. — Orindicum. — et Eleusanum *om.* — Haec Tu. Servilii imp. et victoria clarissimi viri. — Cheronesso. — 51. adscribit idem. — Cirenenses. — Appionis — vendidit. — sedium. — nec ut) sed ut. — vestigia) certa nunc. — Paphalgonia. — Capadocia. — 53. adscripturum. — coepisti. — 54. ut nulla. — Pomp. — 55. cum-tum) tam-tam. — his agris) eis agris.

— hac vestrum) ac vestrum. — Capadociae. — 56. Sylla. — publico) p. — eique) sicque. — 57. tolerandum. — descriptione *mg.* disceptatione. — in *ante* Sicilia *om.* ipse) saepe. — quae est haec) quid est. — aliqua) alia. — 58. veniunt. — marittima. — Hyempsalem. — quas publice Affricanus. — et tamen. — accipitur) excipit & — 59. quoscumque) quodcunque. — imperatoribus nostris. — 60. cui ius imperatorium) quod ius imperatorum. — honos) onus. — Pomp. — 61. suas *om.* — 62. animo sit. — inviti. — ex *mg.* — cavet) caute. — quanta sit. — sit omnes) sed omnes. — postremo etiam) p. et. — venierint) venirent. — 63. deducamini) dedumam. — velim. — 64. Phili) Philippi. — in forensibus. — 65. his *ante* hominibus *om.* — expeditissimum sit. — plebes. — deducantur. — fateor *om.* — 66. Sentinus. — Vestinus. — ab alia *om.* — Venefranus. — Liternus *pro* Liternnus. — Ancasinus. — plebes) plebs. — 67. nā(turam *expunct.*) — invenietur) inietur. — expediret. — 68. ne ei) ne ii. — pertimescebant) expertimescebant. — 69. honeribus. — 70. coemptus. — nimirum idem. — perposse. — hoc est enim. — sentina *mg. pro* sententia. — 71. rpu. — duce) duce communi. — urbis) orbis. — regna *om.* — aegregium. — et *ante* exigi *om.* — 73. recuset) rectuis et. — 74. vestris. — tuam) tuam etiam. — vectigalibus) vectigal. — 75. cogitent. — iisque) hisque. — iidem) idem. — nostrae. — relinquaetur. — 76. at) atque. — prius) primum. — exspectet) expetat. — delectat. — quinquagenos. — 77. aut *ante* maiori *om.* — conivebo) commovebo. — 78. coemant. — 79. Kal. Januarii. — Romilia. — ab Suburanam. — Arniensem. — posse hominum. — a *ante* trib. *om.* — memento. — Syriae cura. — 81. tum nec) tamen neq. — infectum. — nec loco. — de *ante* Campanis *om.* — coeperant. — inminuerunt. — quod ei) quod & — incommodis. — Sylla. — qua nec) qua ne. — quem pariter. — neque vester) nec vestrum. — 82. incraepuerint. — ad urbem) ad caedem. — vestris. — his *om.* — is *om.* — uti) ut et. — se) sese. — fundo solo. — 83. *ad* commovebit *mg.* commoveverit. — in Mithridatico. — Syciliae. — facultatibus. — facultates. — 84. caeteris. — atque a) atq. — trib. pl. funditus) fund. tr. pl. — in illis) nullis. — tradatur. — 85. Et

quidem. — nihil pertineat. — ac Stellatus. — 86. Sed) & — Capuae) Capua. — 87. homines) oms. — nepharii. — nri. tum *ante* ipsa *om.* — Affrica. — Greciae. — eripere. — 88. est *post* multum *om.* — urbe illa. — subpeditare. — videmus. — 90. magistratum. — illa qui. — ante omnia. — esset *om.* — Persa. — Carthaginiensium. 91. inerant) erant. — intollerandum. — imposterum. — urbis omnium eiectis. — 92. repraehendenda. — illo creante) & locreante. — coeperunt. — penas. — *ad* Bruti *mg.* in hac oratione atque in hoc loco videntur multa deficere. — intelligas. — fuit) sit. — 93. ceteris in coloniis. — praetores) scriptores emptores. *mg.* al. sectores. — bini) duobus. — cum *post* Capuae *et post* spiritu *om.* — 94. coenaret. — 95. prospexerunt) perspexerint. — apta est) aperta sunt. — qua) quae. — 96. numerum IↃↃ) modo animus. — cenaculis. — viis) suis. — contemnent ... contendent *mg.* — Vicos. — Lavinium. — Niceria — comparabuntur. — 97. continetur. — 98. P.) Publi. — ut *om.* — potestatis. — liberas. — gentibus regibus. — pecuniam. — 99. tutatum victoria) victorem. — vi ac) velata. — gentis. — cohercere. — 100. depraecentur. — periculis *om.* — bonae fidei. — *post* diligenti *om.* que. — perhorrescam. — 101. qui *om.* — sim *om.* — hominum) hominis. — 102. odio ... atque) ociosi otium fecissem atque. — 103. sua) ipsa. — ego et) ego ex. — his hominibus) esse hominibus. — actibus corporis. — et firmissimum *om.* — reip.) po. ro. — ut iam) ut ita. — diligendo.

III. 1. vestrae. — 2. retulisse) praebuisse. — prebuerunt. — bone. — probabo. — 3. septem) VII. — commodis vestris. — permulgata. — a *ante* Sylla *om.* — Valgi. — nove. — 5. quecunque. — 6. habet) inhibet. — ademptus — datus. — quam *ante* procul *om.* — 7. qui nos) vos. — caetera. — 9. non obligata. — Crebra. — 10. illis) aliis. — in *om.* hoc) haec. — 13. intelligetis. — quia his) quibus. — 14. fundi eundi. — *ad* ipse *mg.* hic etiam videtur deficere. — 15. Sullanam *om.* — remp.) po. ro. — 16. in *om.* — convocaverunt.

Adnotatio.

I. 1. *his) iis* cf. de pronominum *hic* et *is* usu quae p. 21 sq. exposuimus; neque vero hic liber is est, ex quo talia pendere possint; nam vitiis orthographicis minime caret cf. 1. 2 helluo 2, 29 hiis 1, 26 cohercere et quae sunt similia. — 2. *r. p.* Ex eo quod codex permultum fluctuat in scribendo *respublica* (r. p. rep. respu.), *populus Romanus* (p. r., po. ro., popu. r.), *Kalendis Jan.* (Kal. Januar., Januarii) apparet in antiquo exemplo ubique per compendia sola r. p., p. r., Kal. Jan., p. c., s. c., Quir. scripta fuisse. Tum librariorum peccata in numeris (cf. 2, 93. 96. 31 tresviri) et numeri qui passim servati sunt cf. Xviri, 2, 21 XX 3, 3 VII eos ubique restituenda esse docent*). — Ibid. paulo insolentius esset, si *atque* omitteremus; veruntamen ferri posset propter asyndeta quae praecedunt: *Agros emi volt qui dividantur. quaerit pecuniam. videlicet excogitabit aliquid: afferet* et propter orationem quae h. l. vividior et animatior est. Procul dubio vero cum hoc codice omittendum erit 2, 2 *de novis hominibus* in *Nam profecto si recordari volueritis (de novis hominibus), reperietis eos, qui* etqs. Haec enim notio cum ex toto loco, tum ex iis quae modo praecedunt *novus ante me nemo* facile suppletur; *recordari* vero sic nude positum saepius invenitur cf. de legg. 3, 8 ubi prorsus similiter atque h. l. *si recordari volumus* legitur. — 1, 23 *dedictionibus* quod Kayser optime scripsit *deductionibus* confirmatur. — Ad 2, 19 *hominem nobilissimum* pro virum nob. animad-

*) Quam multa vitia ex compendiis male explicatis originem duxerint, unicuique notum est. Neque solum in libris recentioribus, sed etiam in antiquioribus talia inveniuntur. Sic in Plauti Mostell. III, 1, 146 (676) libri legunt: *Ecce autem iterum nunc quid dicam nescio* contra metrum et sententiam. Ritschelius *perii*, quod sententia postulat pro *iterum* acute coniecit; codicum vero vestigia *interii* scribendum esse docent, depravatum propter compendium *îterii* et *iterum* quod sequitur. De cuius verbi usu et forma cf. Amph. I, 1, 143 *oppido interii* V, 1, 24 ubi similiter atque h. l. *interii* post *perii* usurpatum est Asin. I, 3, 90 Epid. I, 1, 54 Mostell. IV, 3, 37 (1031) *Vicine perii, interii.* — Mil. I, 1, 69 librarii ex *molesteae* fecerunt *moleste* vel *molestae*, unde Ritschelius coniecit: *Mihi molestiae sunt: orant, ambiunt, obsecrant, videre ut liceat.* Ex codicum vero vestigiis est restituendum: *Mihi molestae eae sunt:* etqss.

vertendum est adiectivum nobilis multo saepius cum *homo* quam cum *vir* coniungi cf. pro Quinct. 22, 72 p. Lig. 12, 36 agrar. 2, 7 ad fam. 3, 10. — 2, 30 *Qui agri, quae loca, quae aedificia* multum habet, quo se commendet; sed facile ex coniectura scribi poterat. — 2, 64 fere necessarium est *in*, quod hic liber solus servavit: *in publicis privatisque in forensibus domesticisque.* — 2, 95 *ex hac copia atque omnium rerum adfluentia primum illa apta est adrogantia, qua* Kayser cum Zumptio scripsit ex codicibus pro vulgata *nata est;* si vero Parisini lectionem diligenter examinaverimus, quid scribendum sit et quomodo corruptela orta, facile apparebit. *Aperta sunt* legit; si *a* illud dittographia natum esse putamus, *perta* restat, unde facili mutatione *parta* efficimus. *Adrogantia ex copia ... parta est* eadem sententia atque *nata est* optime dici posse loci docent quos Klotz lex. lat. s. v. 2. b) β) collegit; cf. etiam quae nos pag. 11 sq. de dictione quadam poetica harum orationum exposuimus et Horat. Sat. 2, 2, 19 cum interpp. Reliquorum vero librorum lectio inde originem traxit, quod *parta* errore per compendium pta scriptum erat et hoc a librariis iam non legi poterat.

De multis ex reliquis huius libri lectionibus variantibus iam in iis quae praecedunt diximus, easque contra Zumptii mutationes ex 19 quarum Kayser in editione sua non paucas probavit, defendimus.

Scribebam Brunsvigae Id. Mart. MDCCCLXIII.